

No. 112. 1356. 9. Dec.

Probst Nicolaus und das Capitel bekennen, dass der Chorherr Jacob von Neustadt eine Messe vom h. Michael gestiftet hat und ordnen das Nähere über Abhaltung derselben an.

Nos Nycolaus dei gratia praepositus, Johannes prior totumque capitulum canonicorum regularium monasterii sancti Thomae apostoli in Lypiczg tenore praesentium publice recognoscimus et fatemur, quod dominus Jacobus de Nova civitate dictus noster concanonicus devotus et confrater dilectus divina misericordia motus caritative et voluntarie VI. sexagenas grossorum ad structuram dormitorii dedit praecursorum, ut septimanis singulis semel in choro in summa missa de sancto Michaela cantando perpetue teneatur, si vero missa praedicta in choro impediretur intervenientibus¹⁾ diebus festivis, pro tunc volumus et promittimus post tertiam missam vacans cantando missam praenarratam perficiet sancti Michaelis in cappella. Addicimus a Quasimodogeniti usque ad festum Michahelis de beata Maria Magdalena fidelis sermo anthiphona in vesperis diebus dominicis in choro pro suffragio perpetue intonatur, tempore vero hiemali communis anthiphona vesperis singulis de eadem suffragatur. Volumus ut animae patris et matris suae nostro in calendario vel ad librum nostri obitus signantur, vigiliarum orationum necnon omnium bonorum operum participes faciemus, commemoratio ut pro nostris confratribus fieri est consuetum perpetue pro eisdem teneatur. In quorum omnium evidens perpetuum testimonium sigillum nostrum et nostri conventus praesentibus sunt appensa. Datum anno domini M° CCC° LVI° proxima post conceptionem beatae virginis feria sexta.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. An einem Pergamentstreifen hängt das sehr beschädigte Siegel des Probsts; das des Convents ist abhanden gekommen.

1) Or. *interveniente*.

No. 113. 1358. 17. Juli.

B. Friedrich von Merseburg bestätigt einen in Betreff verschiedener zwischen Probst und Convent streitiger Punkte der Klosterverwaltung durch Schiedsrichter errichteten Vergleich.

Nos Fridericus dei gratia ecclesiae Merseburgensis episcopus recognoscimus et tenore praesentium publice profiteamur, quod constituti coram nobis venerabiles viri domini Theodericus de Dassele custos ecclesiae Merseburgensis, Nicolaus doctor decretorum canonicus ecclesiae Myssnensis et Hermannus de Nova civitate eiusdem Missnensis ecclesiae perpetuus vicarius asseruerunt et dixerunt, se amicabiliter concordasse praepositum et conventum monasterii sancti Thomae in Lipzk canonicorum regularium Merseburgensis diocesis in hunc modum, quod idem praepositus et conventus ad invicem debeant esse boni amici et ipse praepositus dicto suo conventui debeat assistere consiliis, et auxiliis pro posse suo ipseque conventus idem facere debeat ac etiam eidem praeposito in licitis et honestis humiliter obedire et factis suis rationabilibus consentire seque sibi non opponere de facto, ipsi quoque prior et con-